



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

13 Quinam potiores in pignore habeant[ur].

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

Quanam ad substantiam, & naturam pignorum spectent.

CAPVT XII.

**I**N primis substantia pignoris requirit, vt obligatio præcedat: non enim contrahitur nisi propter aliquam obligationem. *L. Contrahitur ff. de pignor. & ibi Bartolus, & L. Fideiussor ff. de Fideiussori.* Quare si nulla adlic obligatio, aut ipso iure sit irrita, & manens, pignus locum non habet. *Glossa in l. 2. ff. de condit. ob turpem causam. Isou in l. ex his ff. de condit. indeb. Alexander l. 7. num. 24. ff. de legat. 1. Menoch, in consil. 88. num. 14. lib. 1.*

Secundo substantia pignoris necessitudo requirit, vt ad sit res certa, quæ pignori obligatur. Differt quidem pignus ab hypotheca, quod hoc modo consensu constituitur, nec postulat vt res hypotheca supposita creditori tradatur. *L. Si tibi, §. de pignore ff. de pign. & l. pignus, ff. de pignorat. actio.* At verò pignus non contrahitur, nisi certa res creditori obligetur, & ad eum transeat. Constituitur verò pignus quibuslibet verbis, *L. contrahitur ff. de pignoris, & l. Si in principio, C. Quæ res pignori obligari possunt.* Vt si Titius dicat Caio: Da mihi mutuos centum aureos super ista re: vel si inter creditorem & debitorem conuenit, vt liceat creditori rem aliquam debitoris alienare pro debito: nam eo ipso illa res iure pignoris creditori obligatur, *L. creditor, §. vlt. ff. Qui potiores in pign. habeant.* Si datur itidem libertas facultas venditori capiendi propria auctoritate rem aliquam debitoris. Præterea, si quis subseripserit nomen suum in syngrapha, in qua rem suam obligauit, quia obligationi consensit. *Bartolus in l. Fideiussor, §. 1. ff. de pignori.* Si quis itidem fideiussorem se constituit pro eo, qui rem suam ante obligauerat, eo ipso obligationi antea facta consensum præbet, *L. Si gratuitum, §. vlt. ff. In quibus caus. pignus tacite contrahitur.*

Tertio: ratio & natura pignoris postulat, vt creditor cõputet in fortem fructus, quos ex pignore percipit, siue illi extent, siue non extent. *L. Si dominium, C. de pignori, & l. 2. C. pignorat. act.*

Quarto etiam creditor tenetur ex dolo, lata, & leui culpa in pignore. *L. si cum venderet, §. veni, ff. de pignorat. act. & l. Sicut, C. de pignoris.*

Quinto, potest constitui pignus in qualibet obligatione, siue absolute, siue sub conditione, & in diem, & pro toto debito, & pro parte, & pro obligatione propria, & pro aliena. *L. Si res hypotheca, ff. de pignoris.*

Postremo: Pignus pro vno debito datum, potest pro alio debito retineri, *L. C. etiam ob chirographariam pecuniarum pignus teneri possit.*

Quinam potiores in pignore habeantur.

CAPVT XIII.

**S**EPENVERO contingit, vt plures sint creditores, & bona debitoris sint pluribus obligata. Vnde extat titulus in Digestis de Priuileg. creditor. & alius item tum in Digestis, tum in Codice, *Qui potiores in pignore habeantur.* Ex quibus titulus, inter eos, qui pignora in bonis debitorum habent, talis ordo colligitur.

Primo, quando quis mutuum dedit pecuniam ad refectioem nauis, vel ædificii, ne scilicet pereat, vel deterius fiat, vel ad instruendam nauim, vel ad armandam, vel ad prouidendum illi, quæ sunt necessaria, vel ad adendos ministros necessarios ad eam regendam, hypothecam habet, *L. 2. ff. In quibus causis hypoth. contrahitur, & Authen. de qualitat. dot. §. His consequens, & præfertur cæteris creditibus, etiam anterioribus tempore habentibus hypothecas generales, vel speciales, tacitas & expresse in illa naui, vel ædificio. *L. Interdum, & l. Huius, ff. Qui potior in pign. habeant, & Glossa ibidem communi consensu approbata: non tamen præfertur creditori anteriori habenti hypothecam ratione dotis in ea naui, vel ædificio.**

Secundo, quando quis mutuos nummos dedit ad deportandas merces horre, vel aræ, vel vecturæ, vel ad conducendam domum pro hijs meribus deponendis, habet hypothecam in illis, & præfertur creditoribus, etiam tempore prioribus habentibus hypothecas in illis meribus. *L. Huius enim, ff. Qui potior in pign. habeant, & ibi Glossa.* Non tamen præfertur creditori habenti hypothecam ratione dotis, vt postea dicam.

Tertio, quando quis mutuum dedit pecuniam alicui ad conducendam aliquam rem, habet hypothecam in ea potiore, quam quilibet alius creditor, etiam tempore antiquiore habens hypothecam in illa. *L. Huius, prædicta, & Glossa, & Bartolus, d. licet, & alii, de quibus Negulanti, tract. de pign. memb. 2. p. 5. n. 15.*

Quarto, si tutor, vel curator emit rem aliquam pecunia pupilli, vel minoris: habet pupillus, vel minor hypothecam in illa, & præfertur cæteris creditoribus antiquioribus, qui habent hypothecam in ea. *L. Si tutor, C. de seruo pignori dato manumisso, & l. Idemque est ff. Qui potior in pign. habeant, & Glossa, Bartolus, & Isou eodem in loco, quem paulo ante retulimus.*

Quinto, quando quis mutuos dedit nummos alicui, vt ex eis prædium emeret, ea lege, vt emptum pro mutuo obligatum maneret, habet hypothecam in eo potiore cæteris hypothecis, si quas creditores tempore prioribus in illo habent. *L. Licet, C. Qui potior in pign. habeant.*

Sexto, si quis fecit impensas in funere, testamento inuentario, & alijs ad hæreditatem necessarijs, habet hypothecam in bonis defuncti, & antefertur cæteris creditoribus in eisdem bonis hypothecas antiquiores habentibus, *L. Semper, §. In copulatione, C. de iure deliberandi, & l. Et si quis, §. Si colonis, & l. Impensa, ff. de Religiosis, & Sumptibus funeris.*

Septimo, si duobus creditoribus is qui non est dominus, rem diuersis temporibus oppignerauerit, creditor, qui est tempore prior, est potior in iure. At verò si pignus à diuersis, qui non sunt domini, accipiat creditores, tunc posterior, quamuis tempore posterior, potius habet ius. *L. Si vna dominum, ff. Qui potior in pign. hab.*

Octauo, si res obligata primo creditori, obligetur secundo ex voluntate primi: tunc secundus potior in iure habetur. *L. Creditor, §. Si recum, ff. Qui potior in pign. habeant.*

Nono, quisquis aliquid fisco debet ex aliquo contractu, bona sua obligat fisco, tunc quæ habet, tunc quæ habiturus est. *L. 2. & 3. ff. de Priuileg. fisci, & l. Offertur, §. Fisco, C. de iure fisci.* hæc hypotheca nõ antefertur cæteris priuatis anterioribus, si expresse fuerint. *L. Si pignus, ff. Qui potior in pign. habeant, & l. si fundam, C. eod. tit. & l. si fundum, ff. de iure fisci, & l. si ignorante, C. de remiss. pignor.* Anteponitur tamen prioribus hypothecis tacitis. *Glossa communi consensu approbata. L. Assiduis, C. Qui potior in pign. habeant.*

Decimo, pro dotis obligatione, bona eius qui promissit, ex vtraque parte hypothecæ subiecta sunt, hoc est, tum bona mariti ad restituendum dotem quam accepit, tum bona mulieris ad dotem præstandam, nec ison & bona aliorum, qui dotem aut susceperunt pro marito, aut promissitunt pro muliere. *C. de Rei uxoris acti, & hæc hypotheca est potissima in iure.* Sed dubiz quæstionis est, an sit omnium potissima, ita vt anteponatur cæteris omnibus, etiam anterioribus. Tres sunt opinionones, & Prima assententium, eam solum præferri anterioribus hypothecis tacitis, non expresse. *Glossa, & Dynus in l. Assiduis, C. Qui potior in pignori, habeant, & Glossa in l. ex iure, de pign.*

pignoris, & ibidem Innocentius, Azo, & alii, de quibus Covarruvias lib. 1. *variar. resolut. cap. 7. nu. 1. & 2. Angelus in verbo Dos, nu. 11. Silvester. eodem verbo, quaestio. 12. & in verbo Restitutio. 6. q. 3. Secunda est opinio, eam esse potioris ceteris omnibus anterioribus, tam tacitis, tum expressis. Ita Cynus, Ioann. Andreas, Petrus, cognomento Belapertica, Aretinus, & alii, de quibus Silvester, & Cardinalis in ius, quos supra diximus, locis. Ita quoque Cardinalis & Panoritanus in c. ex litteris de pignoris: qui quidem Auctores duplici hac ratione nituntur. Primum, quia in *l. Affiduis naper allata, & Authen. de aequal. dotis, §. his consequens*, praefertur ceteris omnibus anterioribus, sed qui totum dicit, nihil excludit. Deinde, quia (ut eorum exemplo vitat) si vinco vinceam te, vinco etiam te, *ex c. Autheritates de concess. Praben. in Sexto*. Sed qui mutuum dat ad reficiendam, vel extendendam nauim, ceteris anteponitur et ditionibus qui sunt antiquiores. *l. Interdum, & seqq. ff. qui potiores in pignori habentur*. Atqui dotale pignus potioris est iuris quam haec hypotheca, *ut habetur in Authen. de aequal. dot. §. His consequens*, ergo dotalis hypotheca est omnium potissima. Tertia opinio eorum est, qui volunt, dotalem quam dixi hypo. hanc anteferi expressae hypothecae, quae solo consensu est contracta, non tamen eiusdem possessio ad creditorem transit, quia possessor pignoris semper ante ceteros creditores.*

In hac quaestione illud mihi in primis dicendum videtur, sepe Principum legibus, aut civitatum, aut populorum statuis, dotalem hypothecam anteponi ceteris hypothecis anterioribus tacitis quidem, sed non expressis. Deinde, in iure communi ramentis res est dubia, primum tamen sentiam esse communem, & probabiliorem, ac veniorem extremis. Nam in *l. Affiduis, & Authen. de aequal. dot.* solum videtur anteferi aliis hypo. hecis, quae privilegio legis sunt potiores, ergo solum anteferi tacitas hypothecas antiquiores non expressas: idque ratione naturae satis videtur ostendi: quia privilegium vi legis acquiritur, potest facile lege tolli, cum sit beneficium a lege concessum, ut privilegium, quod quis vigilando, & sibi cavendo acquirit, non solet legem anteferi.

Quaerit, an dotalis hypotheca sit potior ceteris posterioribus quidem tempore, sed expressis? Aretinus negat esse potiores, ut etiam Alexander teste Neguliano in loco supra nominato. At oppositum magis ad veritatem accedit, iuxta Covarr. & Neguliano sententiam ex Baldo, Dyo, Saliceto, & aliis, quos idem Covarruvias profert *ibid.* ubi verò dicit sunt dotes, hypotheca prior posterior potior est, & ideo si mater secundo nupit, libet ex prior matrimonio geniti, in recuperanda dote post mortem matris, filius ex secundo matrimonio datus praefertur. *l. Affiduis, C. Qui potiores in pignoris habent. & Authen. de aequal. dotis, §. His consequens est.*

Quaerit, an hypotheca dotalis, si expressa sit, anteferatur aliis hypothecis antiquioribus expressis. Duae sunt sententiae, una est asserentium, eam anteferi, quam probavit Aretinus, Angelus, & Baldus teste Neguliano *de pignoris. par. 2. memb. 4. nu. 99.* Altera sententia negat ceteris praefertendam hypothecis: quam sequitur Negulianus, pro eius confirmatione, Glossam, Salicetum, & alios in medium producentes, eandem quoque sententiam Covarruvias, & Antonius Gomes probant & sequuntur. Rogabis, an idem privilegium, & praerogativam hypothecae dotalis habeat etiam hypotheca obligata pro donatione propter nuptias, vel pro arthas, bonisue paraphernalibus, cum eorum administrationis praesens maritum est, vel pro incremento dotis? Respondeo: quamvis horum singula tacitam hypothecam habeant, ut antea probavi: ius tamen praerogativae solum habet hypotheca pro dote, vel pro incremento dotis obligata: hoc enim colligitur ex *l. Affiduis, & Authen. de aequal. dot. superius dictis*, & ita docet Negulianus *de pigno. par. 2. memb. 4. nu. 46.* ubi Baldus, Angelus, Salicetum, Ioannem, & Glossam, eius sententiae probat auctores. Quaerit etiam, An ius, & privilegium, quod habet hypotheca do-

talis, contentat non solum mulieri, sed etiam eius heredibus? Respondeo, id iuris & privilegii competere filius, & ceteris eius creditoribus, qui sunt heredes necessarii, non tamen heredibus ab intestato, aut extraneis ex testamento institutis. Ita communis opinio, ut ait Negulian. *eo in loco, quem paulo ante nominavimus.*

### Quibus modis pignus & hypotheca solvatur, & liberetur.

#### C A P V T XIV.

**T**ALIS Titulus loco sexto extat in libro 20. Digestorum. libro eum Codicis 8. Titulus 26. est de remissione pignoris, & Titulus 31. de Lustrione pignoris.

Generalem quibus modis pignus liberatur: Aut quia debitor totum debitum solvit, Aut quia creditor satisfecit. *l. Item liberatur ff. Quibus modis pignus, vel hypotheca solvatur*. Tunc autem est creditor iustitiam, cum is sua ipso te consentit, ut debitor sit ab omni obligatione liber & solutus. *l. Si rem alienam, §. omnis pecunia ff. de pignorat. act.*

Speciatim verò multis modis pignus, vel hypotheca finitur & liberatur, his nempe qui sequuntur.

Primo, pignus redimitur solutione totius debiti. *l. Item liberatur ff. Quibus modis pignus, vel hypotheca solvatur. & l. pignoris causa, C. de pignorat. actione.*

Secundo redimitur pignus remissione: ut si creditor debitum, vel pignus remittat. *l. Solutum ff. Quibus modis pignus solvatur*. Si pactio itidem facta sit, ut non petenda pecunia debita. *l. Solutum, §. Si quasi ff. de pignorat. act. & l. Si tibi, §. de pignore ff. de pactis.*

Tercio, pignus solvitur alienatione eius facta consensu & voluntate creditoris. *l. Si consensit ff. Quibus mod. pign. solvat. l. Si probaverit, C. de remiss. pignoris*: nisi creditor, iustitia sui pignoris causa, in alienationem consentit.

Quarto, liberatur pignus finito, & elapso tempore: quia datum, vel obligatum creditor fuerat ad tempus. *l. Item liberatur ff. Quibus modis pignus, vel hypotheca solvatur.*

Quinto finitur, & desinit pignus, cum datus est sub conditione, eaq; conditio iam defuit. *l. Solutum, §. Si quasi, ff. de pignorat. actione.*

Sexto, solvitur pignus, cum lata est a Iudice sententia, qua debitor ab omni obligatione liber declaratur. *l. Si deficiente ff. Quibus modis pignus solv.*

Septimo, liberatur pignus, si creditore deficiente, iure debitor se nihil creditori debere. *l. Si deficiente, in m. antea citata.*

Octavo, finitur, & recuperatur pignus, cum debitor consensu creditoris, solvit creditor sui creditoris, vel alio quolibet modo satisfecerit. *l. Solutum, §. Solutum ff. de pignorat. actione & in l. Si rem alienam, §. Omnis pecunia ff. de pignorat. actione*. habetur in hunc modum: (Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum, siue aliis pignoris sibi caeteri voluit, ut ab hoc recedat, siue fideiussoribus, siue daco reo, id est, ut Glossa explicat, alio, qui recipiat in se obligationem, animo, & voluntate liberandi pignus, siue pretio aliquo, siue nova conventionem, & generaliter dicendum erit, quoties recedere voluit creditor a pignore, videtur ei satisfactum, si, ut ipse voluit, sibi cauit, licet in hoc deceptus sit.) Ita lex.

Nono, pignus redimitur redditione instrumenti publici, vel traditione scripturae, ubi habuit pecunia credita, & mutua data. *l. Labes ff. de pactis & l. creditricem, C. de remiss. pign.* eodem modo pignus liberatur professione pecuniae probata. *l. pecunia, C. de solutionib.*

Decimo, solvitur pignus emptione, videlicet si credi-